

## LIBER PRIMVS:

nem mihi ostendit, à uerbo Saphar quod sonat numerandi. Valla libro tertio Arithmetices capite primo: Indis Orientalibus gentibus inuentionem tribuit, argumento descriptionis, quæ à dextris partibus in sinistras (cōtrario modo atque nos scribimus) eat, quod Chaldeis, Syris, Aegyptijs, & toti deniq; orienti est commune. Non est etiam ab hac uoce aliena sonus græcæ dictionis ut nunc proferimus,  $\Psi\chi\phi\iota\zeta\mu$  &  $\Psi\chi\phi\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ , quod est computare & computationes: quanq̃ has notulas neq; Græcis neq; Romanis cognitatas fuisse existimem, quod nusquam eas in uetustioribus inscriptionibus Latinis Græcis ue (quod quidem obseruare potui) reperimus, neq; hanc ipsam numerandi artem, quæ his notulis fit, uetoribus in usu fuisse scriptoribus inuenio: sed calculis usos satis constat, cui nunc successit numerandi ars, quæ fit nummis sursum ac deorsum per lineas distributis. Habet tamē numerorū hæc scriptio per sipheras, quas uocant, utilitatem minime negligendam, hæ enim solæ idoneæ sunt præter calculos, ad logisticæ usum nunc cognitam: ob id pauca quomodo his numerum notamus describam. A dextris est initium, ubi figura quæ primo loco ponitur se tantum significat, hoc est non amplius quam si sola poneretur. Diaturq; hic locus limes monadiæ, hoc est singularis seu unitatum. Secundo loco figuræ tot decades significant, quod per se unitates, ut 3, si sola ponatur ternarium, si secundo loco ut hic 39, tri

D